



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendiolvm Vitæ Admirabilis Et Pretiosæ Mortis B.  
Rosæ De S. Maria Limensis Peruanæ, Tertii Ordinis S. P.  
Dominici à S. D. N. Clemente IX. Beatis Annumeratæ**

**González de Acuña, Antonio**

**Augustæ Vindelicorum, 1668**

Capvt IV. Rosæ mira animi submissio virgineus candor, benignitas,  
aliæque virtutes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44063**

## C A P V T . I V .

**R**OSÆ mira animi submissio  
virgineus candor, benignitas, aliæ-  
que virtutes.

Fundamentum reliquarum virtutum, mode-  
stissimi animi submissio , tam altas in hac  
Virgine radices egit , ut suum unicè contem-  
ptum perpetuo studio quæsivisse vita fuerit.  
Parum illi fuisset, domesticæ ancillæ officiis di-  
stineri, nisi & infra illam se demisisset. Quam-  
obrem sape Marianam agrestem servam adige-  
bat , ut se dejectam humi pedibus proculçaret.  
Exultabat injuriis proscissa ob singularem vitæ  
rigorem , at suis laudibus vulnerata, spincam co-  
ronam,qua tempora clam obsederat , violento  
pugno capiti altius infigebat. A Regio Quæ-  
store, qui supremis tribus Rosæ annis suam do-  
mum consecrari ambivit, flexis poplitibus aquæ  
libandæ veniam impetrabat. Morbos cælare  
confueta, ne medicæ sibi manus, & delicata re-  
media adhiberentur , aliquando tamen candidè  
fatebatur, quantis cruciatibus distabesceret, ut  
crederetur ob immania crimina à vindice Nu-  
mine flagellari. Quin & mirari sit, cur nondum  
terra infelicem , quæ suis piaculis onerabatur,  
abyssò demerserit ultior Deus, sanctè affirmabat.  
Et enormium quidem scelerum ream illam cre-  
didiſſes, cum obruta lacrymis, & singultans pro-  
cum-

cumbebat ad Sacerdotum pedes. Sed illa nunquam lethali crimine amisit haustam à sacro fonte divinorum munerum ubertatem, & laborandum Confessariis erat investigantibus quid ad suum forum certò spectaret, nullum enim ab illius ore verbum excidit, obstreperū, criticum, nihil in ejus moribus triste, nil austерum; Sed tota serena erat, & benigna, adeò ut negasse Rosam esse, quæ spinis carebat. Cumq; integerrimo singulos amore complectetur, à Dei hominumq; charitate animari videbatur. Nulla rerum humanarum cura ejus animum sollicitavit: quin interrogata aliquando, num qua re præter divinas delicias, innocuè caperetur, negavit se ullatenus posse rebus perituris exhilarari. At virgineum illius candorem nulla unquam veniali macula afflatum fuisse, nec in toto vitæ cursu ne semel quidem illi in animum cogitationem obrepisse jurati asseruere undecim Religiosi viri, quotquot generalem Virginis confessionem exceperunt. Postquam egregiam formam assiduis macerationibus, diurna inedia, & aqua gelida toti corpori creberrimè superfusa, corrupti, magno haberi cœpit in pretio, utque innocentissimum pœnitentia simulacrum ab omnibus indigitari. At illa blandientis famæ laudes horrescens, vividum illicò in genas colorem, vigorem in oculis precibus revocavit; adeò ut cum domum rediret sub meridiem sextæ feriæ sanctioris hebdomadæ roseo vultu

vultu instar Auroraë subvivida, & amœna, con-  
gerrones quidam juvenes audacissimi in præ-  
tereuntem jocati sint, quasi reducem in convi-  
vio, & opiparè habitam. Illa verò quadraginta  
elapsos dies pane tantum, & aqua duraverat:  
& horas tunc triginta immota perstiterat in  
templo sancti Dominici precibus insistens,  
cibiique omnis expers, ac potus. Majus illi stu-  
dium fuit premendi reliquas divinas dotes, id-  
eoque Deum à teneris annis flagitaverat, ne  
cui mortalium sineret innotescere quæ suum  
intra animum operari dignaretur, cumq; illius  
votis annuerit Sponsus divinus, per pauca, &  
penè vulgaria crediderim, quæ ut maxima, &  
singularia, spirituales Virginis Patres ab illa  
expiscari potuerunt. Quid quod Superos ha-  
buit administros modestiæ suæ, & cum aliquan-  
do templum ingressam consternasset subita re-  
cordatio destituti in patenti cubiculo severoris  
ad domandum corpusculū instrumenti, designa-  
vit animo locum, in quo illud suppressi à Cœli  
Regina exoptabat, ut domesticos lateret, &  
regressa reperit famularem suæ demissionei  
præstitam operam à Superum  
Imperatrice.



CAP.